

# SACRA ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE

Coram R. P. D. LEONE DEL AMO, *Ponente*.

## SEPARATIONIS CONJUGUM

Sententia definitiva diei 16 decembris 1963

### I. SPECIES FACTI

1. M. et E. die 20 februari 1941 matrimonium canonicum inter se inierunt. Trina recreati prole vitae communionem gravi absque discordia agebant. Sibi mutuo dederant die 18 novembris 1943 mandatum procuratorium ad bona administranda et negotia gerenda; sed magna inter eos dissensione stante, uxor die 3 januarii 1955 virum procuratorem removit, et vice versa die 21 octobris 1955 vir uxorem.

Tunc temporis animorum dissociatio ita erat gravis, ut uxor die ipsa 3 januarii 1955, in qua vir sibi et suis reservavit jus impugnandi inventarium hereditatis relictæ a J. qui animam efflaverat die 6 novembris 1954, speciale dederit mandatum procuratorium ad separationem conjugalem petendam.

Die autem 9 januarii 1955 vir solus duabus cum mulieribus in circumstantiis suspectis deprehensus fuit. Et uxor a viro discessit. Exinde conjuges acriter litigant vel apud tribunalia ecclesiastica, vel civilia, vel poenalia, vel specialia protectionis minorum.

In foro ecclesiastico mulier litis libellum exhibuit die 12 februarii 1955. A quo temporis momento et usque in praesens continua et vehemens inter eos controversia adest circa causam legitimam quae eos excuset a vitae conjugalis communicatione.

Actrix a Iudice ecclesiastico B. separationem petebat ob criminis infidelitatem atque ob saevitias. Controversia vero in prima instantia agitata fuit sub sequenti generali formula prorsus reprobanda: "Si son de apreciar legítimas causas de separación conyugal en favor de la consorte doña M.". Quod ad dubium iudex die 29 aprilis 1957 respondebat: "Concedemos a la actora... la separación perpetua". Nihil ergo hac in sententiae parte dispositiva decisum est circa separationem ob saevitias quae fuerant alterum caput ex quo separatio petebatur.

Judex secundi gradus in appellatione, partibus consentientibus, sequens statuit dubium: "Si consta del adulterio y sevicias graves de que es acusado el demandado don F.". Ad quod in sententia lata respondit: "Revocando en

parte la sentencia apelada concedemos a doña M. la separación conyugal de su esposo don F., por dos años, por sevicia moral de éste”.

Qua vero a decisione actrix appellavit ad Sacram Rotam Nuntiaturae Apostolicae. Auditores de Turno in tertia instantia ad concordatum dubium: “An confirmanda vel infirmanda sit sententia Tribunalis Metropolitanani T. diei 23 januarii 1962, seu an et quatenus concedenda sit dominae M. separatio conyugalis a viro suo Dno. F. ob ejus adulterium et saevitias”, responderunt: “Concedendam esse dnae. M. in indefinitum tempus, separationem conjugalem a viro suo... ob ejus saevitias morales; denegandam vero separationem perpetuam ob ejusdem viri adulterium, quod actis non est probatum”.

Nunc a sententia vir appellavit ad superiorem Rotae Turnum, qui sequens dubium stabilivit: “An sententia Rotalis diei 4 octobris 1962, in casu, quatenus ab appellatione pendet, confirmanda vel infirmanda sit”.

Itaque si de separatione ob infidelitatis crimen non constat ex actis et probatis juxta duplicem sententiam conformem, nempe sententias latas in secunda et tertia instantia; si autem constat de saevitiis viri ad concedendam separationem temporaneam, vel in tempus duorum annorum juxta sententiam Metropolitanam, vel in tempus indefinitum juxta sententiam rotalem; hoc unum ab appellatione pendet: “An separatio temporanea uxori concedenda sit in biennium vel in tempus indefinitum”. Et hoc unum a nobis est solvendum.

## II. IN JURE

2. A) *Conjugum separatio perpetua et temporanea.* Ob justam causam quae conjuges excuset a vitae conjugalis communicatione, concedi eisdem potest vel separatio perpetuae ob adulterium (c. 1129, 1130), vel separatio temporanea ob legitimas alias causas, de quibus c. 1131, inter quas expresse sunt saevitiae, si eis alter conjux vitam communem nimis difficilem alteri reddat. Separationis divisio non praecise innititur in durationis facto ita ut perpetua sit ad vitam et temporanea ad tempus finiturum. Separatio enim temporanea, causa non cessante, potest ad totam vitam durare; perpetua e contra cessare post breve tempus, si conjux innocens, cui jus est separationis. sua voluntate cessare eam facit.

Separatio eatenus perpetua dicitur quatenus conjux innocens “nulla unquam obligatione tenetur conjugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium” (c. 1130). Adulterium dat conjugi innocenti jus divertendi quod de se perpetuum est. Aliae autem causae legitimae jus non dant nisi limitatum: tamdiu ab obligatione cohabitandi excusant quamdiu grave periculum duret. Ratione igitur diversae naturae quam causae excusantes habent, vitae communio solvi potest, vel in perpetuum, vel ad tempus sive certum sive indefinitum. In omnibus separationis temporaneae casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est (c. 1131, § 2).

Quodam sub respectu plane separatio in perpetuum continet separationem

ad tempus, sed altera ab altera differt non tantum ob causam ex qua conceditur, verum etiam ob earum effectus etiam civiles, quos separationis sententiae in iure patrio habent. Quapropter utraque separatio, perpetua et temporanea, merito peti atque concedi eodem in iudicio potest et debet. Quod si a conjuge peteretur in litis libello et de duplici separatione disceptaretur, iudicis sententia vitio laboraret quae tantum litem definirer, ommissa responsione ad dubium de separatione temporanea, concedendo separationem perpetuam.

3. B) *Separatio ad tempus certum vel indefinitum.* Notabilis etiam adest differentia inter separationem ad tempus certum et separationem ad tempus indefinitum concessam. Prima est conjugi innocenti onerosior et nocenti favorabilior; altera vero est innocenti favorabilior et difficilior nocenti. Si quolibet in casu separationis temporaneae, causa cessante, vitae consuetudo est restauranda, nonne aequior erit nocenti potius quam innocenti onus imponere probandi separationis causam a se productam cessavisse?

4. a) Conjux innocens, cui separatio ad tempus certum, verbi gratia, ad biennium conceditur, potest sane per hoc tempus manere disjunctus quin curet an cessaverit necne legitima separationis causa; verum post elapsum terminum obligatur ad vitae consuetudinem restaurandam (c. 1131, § 2). Quod si, exacto tempore determinato, nondum causa excusans cessavisset, requiretur iudicam ad separationem sustinendam quod Iudex, conjuge innocente denuo instante, prorogaret separationem pronuntians speciale decretum. E contra conjux nocens, qui separationi causam dederit, jus haberet, causa cessante, exigendi ut in pristinam conditionem restitueretur, praevio iudicis interventu declarantis causam cessavisse et vitam communem esse restaurandam (c. 1131, § 2).

In separatione ergo ad tempus determinatum conjux, cui est jus separationis, gravatur molestia, dispendiis et onere instandi, si causa non cessante et exacto termino vult separationis jure frui; obligatur enim ad petendam in iudicio separationis prorogationem ob causam perdurantem.

5. b) In separatione autem concessa ad tempus indefinitum conjugum disjunctio durare non debet nisi per quod tempus duret causa excusans ab obligatione cohabitandi; sed lata separationis sententia, conjux innocens non obligatur ad vitae consuetudinem restaurandam, nisi Iudex hoc declaret postquam cognoverit de causae cessatione. Equidem instantia fieri potest ab alterutro conjuge: vel a nocente, si paratus est demonstrare separationis causam cessavisse; vel ab innocente, quamvis non probet causae cessationem, nam separatio ipsi est non obligatio, sed jus cui renunciare potest.

Hac igitur in separatione ad tempus indefinitum conjux, contra quem separatio pronuntiatur, premitur obligatione petendi restorationem vitae communis et probandi causam cessavisse. Quod onus conformius principiis iudicis videtur, si imponitur ei a cujus voluntate causa separationis pendet, quia ex actis et probatis jam de causa constat. In futurum igitur ad instantiam

rei constet de causae cessatione deque sufficienti cautione ad redeundum (Cfr. Reiffenstuel, *Jus Can. Univ.*, lib. IV, tit. 19 De divortiis, n. 48).

6. C) *De jure quo regi debeat dijudicatio ad separationem concedendam in tempus certum vel indefinitum.* a) *Bonis ex optabilibus de separatione sperandis?* Certo tribunal nequit duci tantum ex bona separationis fruge quae speretur, verbi causa, ad pacem conjugum conciliandam.

Judex alterius instantiae fundabat separationem ab biennium in eo quod hujusmodi disjunctio profutura esset litigantibus ad eorum moralia vulnera replenda, nam reus intra terminum quamlibet infidelitatis suspicionem ponere curaret, et actrix recolere posset se graves injurias viro intulisse.

Negandum sane non est forsam separationem duraturam per biennium moralem fore medicinam ad passionem conjugum sedandam, vel ad nocentis resipiscentiam et salutare propositum efformandum de non saeviendo infidelitate, vel ad recolendas injurias reo illatas processu perdurante, vel ad conjugum reconciliationem fovendam. At separationis judicialis duratio, sive brevior, sive longior, non pendet ex bonis additiis separationis, vel ex futuris eventibus qui forte proveniant separatione biennali, sed ex eo quod constet vel non de cessatione periculi ob quod ad normam juris separatio conceditur (c. 1131).

Procul dubio Judex separationis sententiam non pronunciaret justam, si temporaneam concederet separationem quin de legitima causa excusante constaret ex actis et probatis, aut si pronunciaret separationem ad tempus definitum quin ex re aut sufficienti ratione praesumere posset malum vel periculum quod reformidatur et ob quod separatio conceditur, fore intra spatium determinatum cessaturum. Qui enim ita procederet, conjugem innocentem, excusatum ab obligatione cohabitandi, injuste oneraret molestia et sumptibus iterandi judicialem petitionem ob eandem causam petendi, nempe ob periculum jam in antecessum satius probatum.

7. b) *Ex majori saevientis culpa? Ex crudeliori saevitia?* Neque atrociori ex saevitia vel ex graviore culpabilitate conjugis nocentis ratio sumi potest ad dijudicandum de separatione concedenda in tempus certum vel indefinitum. Et ratio est quia separatio conceditur non in culpa vindictam, sed ob malum reformidandum, idest, ob periculum vitandum in futurum. Est ergo futurae saevitiae et malae tractationis timor qui justam divertendi causam praestat (Cfr. Sánchez, *De s. Matr.*, lib. X, disp. 18, n. 19; Schmalzgrueber, *Jus Eccl. Univ.*, lib. IV, tit. 19, n. 141, 142; Rosset, *De s. Matr.*, n. 3988, 5.º Et consonat jurisprudencia Rotalis, v. gr., Sententia diei 13 maii 1932, c. Jullien; SRRD., vol. 24 dec. 19, n. 5, p. 171).

Conjuges enim cum tanto periculo non censentur se obligasse ad cohabitandum. Cfr. Reiffenstuel, *Jus Can.*, lib. IV, tit. 19, n. 41; SRRD., 6 augusti 1930, c. Jullien, vol. 22, dec. 47, n. 3, p. 524.

Quacum jurisprudencia romana et doctrina communi consonant plures sententiae in nostro Sacro Tribunali, etiam decisio rotalis appellata, in qua legitur, num. 15: "Non ad praeteritas ulciscendas saevitias, quantumvis gra-

ves, sed ad futuras praecavendas conceditur conjugi divortium ex isto capite. Equidem saevitiae praeteritae haud attenduntur ad conjuges dissociandos, nisi in quantum, earum natura ac circumstantiis omnibus perspectis, praesumptionem ingerant fore ut in posterum similiter producantur”.

Ex professo in causa separationis *Victorien.*, sententia diei 10 januarii 1953, Auditores de Turno Miguélez, Decanus, López Ruyales, Ponens, et Fontana impugnaverunt doctrinale criterium judicis a quo sustinentis requiri saevitiam crudeliorem ad concedendam separationem in tempus indefinitum, et separationem ad tempus certum concedi debere ob saevitiam gravem non adeo acerbam. Laudati Auditores allegabant separationem concedi “non in culpa vindictam, sed ob malum reformidandum”. Considerabant insuper in iudicio separationis conjugum non agi de poena inflingenda reo culpabili, sed de protectione danda conjugi innocenti cui certum vel probabile periculum immineret ex cohabitatione.

8. c) *Saevitiae condonatae quomodo aestimandae?* Excmus. Dnus Miguélez, Decanus Rotae Nuntiaturae Apostolicae, nunc autem emeritus, disserens de hujusmodi criterio scribit: “Este criterio (el de la mayor o menor gravedad de los hechos alegados y probados) adoptado como criterio único e inflexible es manifiestamente erróneo... y se basa a su vez en un error que pudiéramos llamar de principios y que consiste en considerar la separación temporal como una pena o castigo de hechos culposos anteriores. Y nada más inexacto que esto”. Ipse eadem auctor in trutinam revocans sententiam Rotalem diei 30 junii 1928, c. Florczak (SRRD., vol. 20, dec. 29, n. 7, p. 271), qui consideravit saevitiarum condonationem, merito ait: “Tratándose de la separación temporal por sevicias, las pasadas no juegan otro papel que el ser un índice de la mala voluntad y temperamento del seviciante, mala voluntad que no se altera por el hecho de que se condonen las sevicias; de donde se infiere que, si una o más veces le han sido condonadas y, a pesar de ello, ha habido reincidencia en su mal comportamiento, del conjunto de todas ellas resulta una prueba más fuerte para acreditar la dificultad de hacer vida en común en adelante” (Miguélez, *Las causas matrimoniales de separación temporal*”. Aparte de la R. E. D. C., pág. 24-29).

Disputationi calculum adjicientes distinguemus duplicem factorum vim, scilicet, *ex una parte* saevitias praeteritas quatenus injurias quae gignunt debitum publicum poena purgandum et damnum privatum reparandum aliqua legitima via, verbi gratia, solutione, compensatione, condonatione; *ex alia autem parte* saevitias quatenus facta quae indicium dant ex quo jure merito conjicitur imminens gravis damni periculum reformidandum. Hujusmodi indicia ratione condonationis possunt sane talia esse in aliquo casu ut praesumere faciant conjuges reconciliatos et absque nimia difficultate in futurum cohabituros esse. Verum in casu diverso saevitiae, licet semel et iterum condonatae, possunt tamen gravia praebere indicia ex quibus discretus Judex non possit quin conjiciat grave adesse periculum excusans ab obligatione cohabitandi, attentis, verbi causa, praesenti animorum dissociatione, mala sae-

vientis voluntate, indole conditioneve consortis quae molestissimam vitae consuetudinem timet.

Aliud est condonare injuriam et non posse amplius eam in culpam vocari, sive in iudicio poenali ad poenam inflingendam, sive in iudicio concencioso ad obtinendam reparationem damni privati per injuriam inflictam; aliud autem renunciare juri subjectivo, quo conjux uti potest vel non, quodque ipsi est quum causam habet excusantem ob factum permanens et periculum damni futuri quod reformidatur (Cfr. Reiffenstuel, *Jus Can.*, lib. IV, tit. 19, § 2, n. 39 et 40; Santi-Leitner, *Praelect. Jur. Can.*, lib. IV, tit. 19, n. 60).

Non ergo duplex, sed heic potius triplex actio est distinguenda, nempe, *poenalis* ad culpam vindicandam vel poenam inflingendam; *civilis* ad reparationem damni privati obtinendam; *matrimonialis* ad firmandam publica decisione separationem conjugum ob periculum excusans ab obligatione cohabitandi. Nihil ergo mirum si, attento earum diverso scopo, allegationes quae ponantur vel civili actioni prosunt, nullo modo actioni matrimoniali subveniant.

9. d) *Compensantur saevitiae mutuae quoad separationem?* Videtur ex dictis superius et ad modum conclusionis esse tenendum non recte sumi criterium ad separationem temporaneam concedendam praecise ex eo quod tantum una pars culpabilis fuerit et altera experta culpa, vel ex poena graviore aut minori reo inflingenda, vel ex damno privato per injuriam illato parti laesae, cujus in aestimatione ad reparationem dandam iudex prae oculis habere debet normam super compensatione, de qua in canone 2218, § 3, agente de poenis ob delicta contumeliae et diffamationis. Quo in casu compensationis sub dicta specie iudex abstinere debet ab infligenda poena, quia eo ipso quod offensus simili injuria offensori illata privatim vindicavit injuriam, censetur desistere a punitione exigenda (Cfr. Michiels, *De delictis et poenis*, Ed. 1961, vol. II, pag. 183).

At in actione matrimoniali et in processu ad cognoscendum circa legitimam causam excusantem ab obligatione cohabitandi —rem iterum dicamus—, conjux a iudice non petit ut injurianti poena infligatur, vel ut ipse actor qui passus est injuriam damni sibi illati reparationem obtineat, vel ut conjux culpabilis justam reprehensionem vel correptionem recipiat; sed hoc unum postulat, conjugum separationem, quia probaturus est ei suffragari causam legitimam excusantem ab obligatione cohabitandi ob periculum gravi damni quod ipse jure merito reformidat (Cfr. SRRD., 6 augusti 1930, c. Jullien, vol. 22, dec. 47, n. 3 et 4: Auctores et jurisprudentia allegantur).

10. e) *Quid de saevitarum compensatione in causis matrimonialibus agitatis in Sacra Romana Rota?* Hoc Tribunal Pontificium in decisione diei 13 maji 1932 concedit uxori separationem perpetuam ob viri adulterium; ad tempus indefinitum ob vitam viri ignominiosam, quae fuit per se causa divisionis animorum atque aversionis, offensionum et vexationum pro uxore acerbarum repetitarumque; inde familiaris consuetudo nimis difficilis facta

est pro Clara, attenta ejus conditione. Viro autem reconvenienti non conceditur separatio temporanea ob culpam uxoris, nam ipsa, agendi ratione sua, non reddidit nimis difficilem pro marito vitam conjugalem. Neque fas est judici... pronuntiare utrum uxor in omnibus et singulis se semper prudenter gesserit, an aliquando minus prudenter; cum etiamsi hoc in probatis exstaret non subesset inde justa separationis causa (SRRD., 13 maji 1932, c. Jullien, vol. 20, dec. 19, n. 11, 13, 26, 27, p. 167-189).

*Sententia Rotalis diei 2 martii 1940* declarat mutuum adulterium compensatum fuisse, ideoque non concedendam separationem in perpetuum; sed solum in tempus indefinitum ob graviorem conjugum conditionem in casu, cum animorum tandem inconciliabili disparitati addita sit tot mutuarum injuriarum acerbitas ad dissociandam magis magisque quamlibet domesticae conversationis concordiam. Quibus consideratis, auditores de turno sententiaverunt: locum esse separationi ad tempus indeterminatum ob injurias, et quidem culpa utriusque conjugis, in casu (SRRD., *Zagraben*. Separationis, c. Canestri, 2 martii 1940, vol. 32, dec. 19, n. 9 et 10, p. 202-203).

*In Sententia diei 19 aprilis 1944*, c. Caiazzo, non conceditur separatio perpetua, quia viri adulterium ab uxore fuit condonatum, et reconventio viri non est admittenda neque de uxoris adulterio constat; quod vero ad injurias vel mutuas offensas compensatio habetur. Sola proles separatur (SRRD., vol. 36, dec. 27, n. 16, p. 311).

Notare volumus auditores, in casu, egisse de *offensis* quibusdam potius quam de saevitiis gravibus quae possent in futurum gignere periculum reformidandum, cauto filiae educationi meliori quo possit modo, Ordinarii iudicio.

Itaque ad juris quaestionem de compensatione saevitiarum elucidandam, nos pari modo ac fecimus loquentes superius de condonatione distinguemus injurias compensatas ubi compensatio prodest aestibus animi pacandis et paci conciliandae, inter et saevitias mutuas hinc inde malo animo iterate patratas quibuscum in dies animorum dissociatio, inimicitia vel odium aggravatur.

In causis ergo de conjugum separatione magis placet compensationis terminum praeterire, quam eo improprie uti cum onere explicandi singulis in casibus, si hujusmodi compensatio animos conjugum pacat vel potius exacerbatur.

11. f) *Quid circa quaestionem in nostro Tribunali Sacrae Rotae Nuntiaturae Apostolicae?* Semel et iterum aestimatum est separationem temporaneam esse concedendam ob saevitias quae aliae aliis non eliduntur, sed mutuae potius generant inconciliabilem animorum disparitatem, quae reddit nimis difficilem vitae conjugalis communicationem.

In causa *Valentin*. Separationis, c. Pérez Mier, sententia diei 2 octobris 1962, n. 27 in fine, legitur: "Absurdum Judex V. committit omnino arbitrarie stabiliendo ex hoc facto saevitiarum compensationem ab utraque parte patrarum; absurdum dicimus, quia, primo, compensatio arguit necessario veram proportionem objectivam inter res quae compensantur, et in casu

evidenter deest talis proportio; et secundo, quia de se et proprie loquendo saevitiae non compensantur, aliud enim est injurias *ex praescripto legis expresse sic statuentis* mutuo compensari posse poenaliter, et aliud plane diversum quod saevitiae mutuo causentur, seu quod idem est, saevitias saepe ex saevitiis generari, ideoque alias aliis saepe elidi non posse”.

In alia etiam *Valentin*. Separationis, sententia diei 9 martii 1961, me ipso ponente, consideratur: “Causae legitimae separationis sedulo aestimantur ad concedendam necne separationem, quatenus eadem aptum sunt remedium subveniendi conjugibus formidantibus molestissimam vitae consuetudinem, saevam tractationem, periculum seu animae seu corporis. In separationis temporanae causis matrimonialibus non raro contra actorem reus actionem reconventionalem instituit, aut absque formali reconventionem, intendit culpam purgare allegando culpam compartis. Et non ex eo quod unus tantum sit culpabilis, inde separatio est concedenda et econtrario deneganda si uterque conjux fuerit culpabilis, nam culpa unius et culpa alterius possunt concurrere ad vitam difficiliorem reddendam, ad gravem animorum dissociationem, ad mutuam aversionem”.

12. g) *Pro saevitiis non compensandis validum desumitur argumentum ex gravi inimicitia vel odio implacabili*. Conclusio de saevitiis ita aestimandis ut possint absque compensatione concurrere ad vitam communem nimis difficilem reddendam corroboratur per rationem de gravi inimicitia vel de odio implacabili, quatenus hujusmodi gravis affectus malevolentiae est effectus consequens ex saevitiis aliisve legitimis causis ad separationem concedendam.

Expresse sub hac ipsamet specie odium aestimatur a Sacra Romana Rota, videntibus omnibus et Lega Decano, in causa separationis agitata prius in Hispania. Conjugale consortium magis quam tres et viginti annos perduraverat; verum abrupta videtur fuisse conjugalis pax, potissimum propter rationem vivendi et conversandi Casilda cum viro suo, qui petivit a Curia sibi perpetuum concederetur divortium ab uxore ob illius amentiam et ob passas ab ea graves injurias. Mulier autem Laurentium reconvenit ob saevitias malosque tractatus, petens damnationem mariti et pronuntiationem divortii in sui favorem. Curia edixit locum non esse separationi perpetuae, sed attempta animorum gravi mutua aversione concessit separationem temporaneam ad quinque annos. Laurentius a sententia appellationem interposuit apud Curiam Primatiales, quae sententiam primae instantiae ratam habuit et confirmavit. Quare Laurentius confugit ad Tribunal Rotae Nuntiaturae Apostolicae, quae confirmavit priores sententias quatenus declarabant locum non esse separationi perpetuae, sed eas infirmabat quatenus indulgebant separationem temporaneam ad quinquennium. Vir recursum interposuit ad Summum Pontificem, qui rem examinandam, ex Voto, Rotae Romanae commisit. En ejus votum: “Videtur in casu concedenda separatio *ad tempus incertum vel indefinitum*, videlicet quoadusque perdurent hodierna rerum adjuncta”. Juxta votum non urget periculum infamiae, neque urget corporis periculum;



sed remanet odium implacabile, seu illa animorum dissociatio quae *ex hisce omnibus adjunctis consequuta est*. Posita hujusmodi animorum aversione, haud sperari potest conjuges pacifice cohabituros esse, attentis praeteritis jurgiis quorum veteres remanent causae et novae exortae sunt. Et allegant pro separatione ex ejusmodi odio: a), doctrinam Coscii, *De separatione tori*, l. 2, c. 11, n. 1 ss; b), caput *Ex transmissa*, de restitutione spoliatorum; c), jurisprudentiam Sacrae Romanae Rotae, ex qua speciali modo excerptit hanc conclusionem sententiae diei 11 aprilis 1633, c. Coccino Decano: "Unde ex his et aliis, in praeterita decisione latius ponderatis... Domini, non solum ex hoc capite (seu saevitiis) iterum censuerunt locum esse separationi tori; sed tanto libentius inhaeserunt alteri etiam fundamento decisionis, deducto ex capitali odio et inimicitis quae, *diuturno litis processu*, inter partes supervernerunt" (SRRD, 20 aprilis 1912, vol. 4, dec. 16, n. 2, 10, 11, p. 194, 201).

Sereno animo considerantes ejusmodi jurisprudentiam rotalem, quae constans est atque innixa doctrinae communiori, nobis manifesto videtur Decanum Lega, omnesque Auditores cum illo, votum in casu dantes aestimavisse mutuas conjugum saevitias quoad separationis effectum non fuisse compensatas, vel alteras alteris sublatas repensando saevitias saevitiis; sed econtrario apparet Collegium Rotale saevitias mutuas existimavisse vivas et operantes, veluti pabulum nutrientem animorum dissociationem, etiam durante ipsomet litigio et litium causa. Laudati enim Auditores putaverunt, in casu, respondententes ad dubium: "An constet de legitimis causis separationis", de iisdem constare, quia saevitias unius non tolli per saevitias alterius, neque iram unius per iram alterius, neque inimicitiam per inimicitiam, neque odium per odium.

Eandem conclusionem sustinent considerando jurisprudentiam et doctrinam conjicere gravitatem inimicitiae vel odii implacabilitatem ex indiciis certis et determinatis, quae minime compensantur, et sunt veluti fontes ex quibus inimicitia vel odium oritur. Ita, verbi causa: a), ex diuturno litis processu (Sententia diei 11 aprilis 1633); b), ex eo quod *maritus* non cessaverit ab insectando uxorem, eamque calumniando, et ex eo quod *uxor* maxima cum laesione boni nominis viri detexerit ejus malos mores et nequitiam ad objectionem criminis laenocinii (Sententia Rotalis diei 10 januarii 1735); c), ex eo quod inter conjuges sit lis vel causa civilis circa bona pecuniaria magnae quantitatis (Cfr. Sánchez, l. c., lib. X, disp. 18, n. 33; Cosci, *De separationi tori conjugalis*, lib. II, cap. 11, n. 4; Barbosa, *Collectanea Doctorum*, In Decret. lib. II, tit. XIII *De restitutione spoliatorum*, cap. *Ex transmissa* VIII, n. 5).

Etiam in nostro Auditorio, etiamsi non numquam consideratum sit quaslibet injurias fuisse compensatas per alias compartis injurias, semper tamen admissum est separationem decerni posse, si conjuges odio crudeli, capitali vel implacabili prosequantur (Cfr. Causam *Aurien.* diei 29 novembris 1961, c. Lamas, n. 12).

13. E) *Canonica dijudicationis norma*: Separatio non conceditur nisi ad subveniendum conjugii reformidanti gravis damni periculum in vitae communicatione observanda; separatio tandiu durare debet quamdiu periculum duret. Criterium ergo ad separationem temporaneam concedendam ad tempus certum vel indefinitum, juxta normas canonicas, hoc unum esse debet, nempe, quod statuitur in canone 1131, quodque explicatur hanc per normam communiter admissam: Conjuges ad vitae consortium obligantur, nisi imminens quod timetur periculum gravis damni sive animae sive corporis eos excuset; tandiu tamen quamdiu periculum immineat. Omnium igitur causarum legitimarum effectus est certum vel probabile periculum damni futuri, ex cujus timore cadenti in viro constanti excusationis duratio pendet.

Ergo omnibus in causis separationis temporaneae, discrimen ad concedendam disjunctionem in certum vel indefinitum tempus poni nequit nisi in isto gravi periculo vel probabili timore, qui merito praesumi debeat cessaturum esse, vel non, intra spatium temporis determinati.

Itaque Judici eatenus licebit pronunciare separationem ad tempus certum quatenus ipse compertum habeat constare sufficienter tam de causa excusante, seu de periculo gravi, quam de hujusmodi periculi cessatione intra tempus determinatum. Sin autem solum constiterit de periculo imminente et non de ejus futura cessatione, non potest non concedere separationem ad tempus indefinitum.

Quod si causa separationis olim existens hic et nunc jam cessavit vel periculi remissione, vel ejus remotione, vel nocentis emendatione, vel conjugum reconciliatione, vel alia qualibet ratione, vitae consuetudo non est dissocianda, et planum est.

Quum periculum alia via averti potest, separatio pronunciari non debet. Si autem ob legitimam causam, in casu, separatio temporanea concessa fuerit, cessante causa separationis, cohabitatio restauranda est, positis de jure ponendis. Notemus tandem can. 1131 non imponere separationis obligationem, salvo caritatis officio, sed tantum agnoscere conjugum jus non cohabitandi, si eis causa excusans a vitae communione suffragatur: "Haec aliaque id genus, sunt pro altero conjugue totidem legitimae causae discedendi". E contra obligationem manifestant verba alterius paragraphi: "Causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est" (c. 1131, § 1 et 2).

Quam ob rem si causae legitimae separationis temporaneae tandiu excusant ab obligatione cohabitandi, quamdiu grave periculum duret; si separationis cessatio pendet a cessatione causae excusantis, concludendum postremo est Judicem, ut jure merito pronuntiet separationem in tempus certum vel indefinitum, non posse quin in facto consideret, rimatis omnibus, et causas excusantes quatenus fontes ex quibus grave quod timetur periculum manat, et durationem vel cessationem causae excusantis in futurum, prout ex facto praesenti, idest, ex indiciis certis et determinatis atque directe cohaerentibus cum cessatione, periculi cessatio conjici de futuro possit.

## III. IN FACTO

14. *Normae processuales in prima et altera instantia non parum neglectae fuerunt.* Re quidem vera adeo gravia sunt vitia processualia contra canones 1728, 1873, n. 1, 1754 et sequentes, ut etiam nos, plene consentientes cum Rev. mis Auditoribus qui causam viderunt in tertia instantia, debeamus in memoriam revocare eorum qui partem habuerunt in iudicio tam primae quam alterius instantiae, ordinis processualis solemnitates, praesertim his in causis quae publice intersunt, negligendas non esse. Normae enim sunt cogentes, quibus derogandi facultas vel partibus vel tribunali non conceditur.

Quam ob rem in prima instantia dubia rite erant concordanda et ad dubia rite erat respondendum. Tum in prima tum in altera instantia testes rite erant a Iudice excutiendi in iudicio absque istis declarationibus extrajudicialibus, quibus vis probandi in ecclesiastico foro minime inest, nisi illa quae inservierit testibus praeoccupandis (Cfr. Roberti, *De processibus*, vol. I, Ed. 1941, n. 34, p. 88; SRRD., 27 iulii 1931, c. Mannucci, vol. 23, dec. 38, p. 331, n. 10; 8 februarii 1936, c. Jullien, vol. 28, dec. 12, p. 121, n. 8).

15. *Corruptelis obstandum.* Optandum quidem est Tribunalia dioecessana corruptelis ita obstant ut, si opus fuerit, partium patronos a lite removeant; sin minus eos admoneant de abusu reprobando deque jactura suae conscientiae, in qua certo certius incurrunt, quum importunas quaestiones incidentes movent, vel eas multiplicant ad moras iudicio nectendas, vel nunquam decisio contra suam intentionem adquiescunt, et ita porro. (Cfr. SRRD., in una c. Canestri, diei 8 novembris 1946; vol. 38, dec. 50, p. 479, n. 4).

16. *Non potest non reprehendi advocatus qui extrajudicialium declarationum ordinem immerito defendit.* In prima et altera instantia partes Tribunali exhibuerunt ad probationes adducendas, ni nos fallit supputatio, conventi declarationem coram notario civili factam atque tres et nonaginta declarationes extrajudiciales, ex quibus actrix undecim et conventus duas et octoginta attulit.

Vir appellans, advocatus ipse, vel ejus patronus, sua in ultima defensione intentis viribus appellatam sententiam reprehendit, quia "no concedió valor probatorio a las actas de declaraciones aportadas por el demandado, cuya *autenticidad* se reconoció en autos de segunda instancia por Decreto, y por la actora".

Non autem sententia citata, sed ipsemet advocatus admodum reprehendendus est: 1.º Quia Decretum diei 9 maji 1958 nihil quoad exhibita documenta declarat, nisi quod actis uniantur (fol. 491). 2.º Quia pars contraria, scripto diei 8 aprilis 1959, hoc unum admisit: "No tenemos inconveniente en admitir y admitimos por auténticos, esto es, por extendidos y suscritos por las personas que aparecen como sus autores, los documentos cuyo reconocimiento interesó la adversa... ello claro está, sin que la admisión de

su autenticidad, como documento, suponga reconocer en ese momento los hechos ciertos a que los mismos se contraen y que habrán de ser analizados en su momento oportuno" (fol. 502). 3.º Quia et Judex hoc unum mandat Decreto diei 9 aprilis 1959: "Vistas las manifestaciones, se tienen por auténticos los documentos aportados por la parte apelante para ser reconocidos, y por tanto déjese sin efecto lo ordenado en providencia dos de los corrientes sobre la citación de los testigos, para reconocer sus documentos". 4.º Quia denegari nequit Judici appellationis jus subveniendi partibus contra gravamina processualia, sive per decreta sive alias per actiones vel omissiones, inflicta. Finis enim appellationis est retior justitiae administratio, quae obtinetur hoc medio quo errores forte a iudice commissi corriguntur (Roberti, *De process.*, vol. II, n. 467; Wernz-Vidal, *De process.*, n. 600; Conte a Coronata, *Inst. Jur. Can.*, vol. III, n. 1408).

Ceterum confundenda non est veritas extrinseca horum documentorum cum veritate intrinseca rerum quae in scripturis referuntur; neque confundenda genuinitas documenti privati cum ejus vi probandi in iudicio, ad normam canonis 1817.

Est quoque advocatus reprehendendus, quia contra praescripta sacrorum canonum audet alium ordinem judicarium admittere et defendere quam qui jure canonico statuitur. In iudicio ecclesiastico, juxta constantem Sacrae Romanae Rotae jurisprudentiam, testimonia extrajudicialia seu reddita, spreta forma jure praescripta, nec juramento firmata, nullius sunt valoris, et ideo tamquam non exhibita haberi debent (SRRD., 3 januarii 1917, c. Cattani, vol. 9, dec. 1, n. 4, p. 3; AAS., 10 (1918) p. 378-387). Declarationes extrajudiciales suspectae sunt, omni vi probativa destitutae habentur (SRRD., 16 octobris 1943, c. Jullien, vol. 35, dec. 69, p. 738, n. 6); neque invocandae sunt, cum vim habere nequeant judicialis depositionis (SRRD., 29 aprilis 1935, c. Massimi, vol. 27, dec. 31, p. 276, n. 5). Declarationes coram notario civili non sunt nisi declarationes extrajudiciales (SRRD., 12 junii 1934, c. Quattrococo, vol. 26, dec. 43, p. 381, n. 4), et non probant quia notarius fidem facit de facto declarationis deque testium subscriptione, minime vero de veritate dictorum vel de veracitate testium qui asserta coram se proferunt (SRRD., 15 novembris 1916, c. Cattani-Amadori, vol. 8, dec. 30, p. 334, n. 2).

Quae declarationes, vel scriptae, vel peractae coram notario —etiam est considerandum— saepe saepius fiunt post praevious cum testibus tractatus ad memoriam refricandam, qui licet non eo spectent ut attestaciones favorabiles comparentur, semper tamen perturbant genuinam factorum recordationem, quamvis agatur de testibus qui probi et honesti exhibeantur (SRRD., 1 augusti 1913, c. Lega, vol. 5, dec. 42, p. 494, n. 9 et 10; 7 maii 1941, c. Caiazzo, vol. 33, dec. 34, p. 393, n. 6).

Neque solum peccant hujusmodi declarationes, seu vitiosa ratio parandi processum canonicum, in sacrorum canonum praescripta et in genuinam factorum recordationem, sed etiam hoc grave habent incommodum quod Judex non potest quin dubius haerere debeat, utrum deponens in iudicio ecclesias-

tico, liber re vera sit, an potius sese obligatum sentiat non contradicendi quae prius cum parte tractaverat vel coram notario jam protulerat (SRRD., 27 iulii 1931, c. Mannucci, vol. 23, dec. 38, p. 331, n. 10; 2 aprilis 1941, c. Quattrococo, vol. 33, dec. 21, p. 214, n. 15).

Nostro igitur ab officio defici videremur, si has corruptelas valide non improbaremus graviter admonendo utriusque partis advocatos, quoquo modo hujus vitiosae rationis participes, ut in posterum suo munere ipsi rite fungantur observantissimi ordini judiciario legum ecclesiasticarum.

17. *Factorum aestimatio quae impraesentiarum ad rem facit.* Sunt a nobis facta consideranda quatenus indicia praebent circa durationem causae excusantis ab obligatione cohabitandi, quia de probatione ipsius causae legitimae satis in prioribus instantiis est consideratum et circa eam firma adest sententia, quatenus ab appellatone non pendet.

Equidem quod attinet ad legitimam separationis causam latius et iterum atque iterum consideratum est in prima, altera et tertia instantia. Non requiritur ergo quod saevitias examini subjiciamus ad denuo decidendum quod sententia firma jam est iudicatum, nempe constare de causa legitima ad separationem temporaneam concedendam. Satis nunc erit facta vel saevitias considerare in quantum ex eis liceat conjicere necne causae cessationem intra tempus certum. Alia aestimatione opus nobis non est ad concordato dubio respondendum.

En quae ex actis sunt certa quaeque ad rem eloquentissima:

1.º Discordiae malum uxoris pater inculpatim misit, qui animam efflavit die 6 novembris 1954 et testamentum condiderat instituens heredem praelegatarium, vulgo "hereu", filium natu majorem D.num G. et insimul heredes ex duodecima parte tam filiam M. (uxorem actricem) quam duas ex filia neptes, scilicet, filias ex matrimonio.

2.º Conjuges qui sibi mutuo dederant mandatum procuratorium ad bona administranda atque negotia gerenda die 18 novembris 1943, sese mutuo etiam removerunt per mandati revocationem, quam, primo uxor die 3 januarii 1955, et deinde vir die 21 octobris 1955 peregit.

3.º Ipsamet die 3 januarii 1955 vir sibi et suis jus impugnandi hereditatis inventarium in acta notariali reservavit aiens: "Que comparece a los solos efectos de acusar recibo de las citaciones que le han sido dirigidas a su señora y a él mismo como representante de sus hijas, pero sin que ello implique conformidad ni aprobación, tanto respecto a los bienes que se relacionan como con los valores que a los mismos se asignan, en el caso de que el compareciente los estime que no se acomodan a la realidad de las cosas" (fol. 431). Tempore praesenti animorum dissociatio inter conjuges haud dubio gravis et acerba erat, nam uxor hac ipsa die non tantum virum procuratorem removit, sed etiam procuratoribus speciale dedit mandatum ad conjugalem separationem petendam.

4.º Vir solus cum duabus mulieribus suspectis deprehensus est die 9 januarii 1955 in circumstantiis etiam suspectis, scilicet, hora vicesima noctis in rusticationis villa personis tunc temporis destituta.

5.º Diebus 26 februarii et 5 martii 1955 vir denunciavit auctoritati, vulgo dictae “Inspector Jefe de la Delegación de Hacienda” graves irregularitates contra bonum publicum perpetratas a societatibus dictis “J.” et “H.” ob crimen falsitatis in occultatione bonorum magnae quantitatis quoad tributa solvenda: “Resulta —ait denunciatio— la falsedad de haber valorado el activo industrial declarando un capital líquido de 18 millones, cuando es lo cierto que los bienes que lo constituyen representan un activo industrial de... más de 60 millones”.

6.º Adde quod vir ipsa die 26 februarii 1955 apud Advocatum Status denunciavit “irregularidades perpetradas por el contador y partidor y liquidador de la sucesión de don J., en los documentos de inventario y partición de la herencia, y de los cuales se sigue grave daño y perjuicio para los intereses del Tesoro público”. Conventus in postremo suae defensionis scripto fatetur se operam in his denunciationibus adeo vehementem (“enérgica”) posuisse, ut differentiae “entre las primeras declaraciones y las complementarias posteriores se elevan a una suma que sobrepasa los setenta millones de pesetas”.

7.º Est quoque inter conjuges acre iudicium magnae quantitatis honorum inter attricem et conventum. Motum fuit per litis libellum diei 26 martii 1955 et decisum B. die 31 martii 1956. Qua vero a sententia appellatum est, sed eam absolutoriam Iudex superior, B. die 10 decembris 1956, confirmavit.

8.º Pariter inter conjuges graves controversiae agitatae fuerunt apud Tribunal Protectionis Minorum, quae affatim etiam ostendunt aversionem qua conjuges sese mutuo prosequabantur. Ipse vir appellans ejusmodi acrimoniam significat, quum in scripto allegationum ait: “La sentencia apelada ha olvidado consignar los hechos que, estos sí, constituyen auténticas y graves sevicias y que son imputables a la esposa... Y no sevicias aisladas, sino toda una trama de combinaciones, presiones y enredos realizados en relación con las hijas ante los Tribunales Tutelares de Menores, para culminar en la horrenda sevicia contra el mismo Derecho Natural de llevar a sus hijas ante la Sala de la Audiencia Territorial de Barcelona para que declararan: “que no querían vivir con su papá, porque las hacía pecar y bailar con sus amigos...” y hacerlas firmar declaraciones con el apellido materno solamente, como si fueran hijas de padre desconocido. Y omite la sentencia que el Tribunal de apelación de Menores en sus tres sentencias, después de haber considerado nada menos que tres expedientes en los que se formulaban idénticos cargos contra el Sr. F. que los que se han formulado ante esta Jurisdicción le reconoce hombre y padre digno y acuerda la entrega al mismo de sus hijas para su guarda y custodia...”. Etiamne amplius? Ex hoc jam satis efficitur inimicitia vel odium sufficiens ad separationem concedendam.

9.º Insuper gravissimam simultatem ostendunt ea omnia quae acta fuerunt ob quaestionem motam circa viri adulterium, juxta mulieris asserta, patratum dum causa separationis agitabatur in altera instantia, a viro autem semper denegatum, qui deponebat in iudicio: “No reconozco al hombre que aparece en ocho fotografías que me exhibe el Señor Juez... Desde luego que no soy yo y que si se trata de señalarme a mí, tales actos no dejan de ser una de tantas canalladas que está cometiendo la parte contraria”.

Quae omnia a nobis sunt adducta et sedulo singillatim atque conjunctim considerata, ut hinc manifesto sequatur graves adesse saevitias a quibus procedunt gravissimae inimicitiae.

Profecto nemo non videt in ejusmodi factis atque litibus claras manifestationes infensi animi quo conjuges afficiebantur inde saltem a mense januario 1955.

Procul dubio conjuges gravi malevolentia sese mutuo prosequabantur vel ratione oeconomica vel morum dissolutione, quin nunc jure aut injuria dicamus.

18. *Ipsamet separationis causa matrimonialis gravem inimicitiam vel odium implacabile generavit.* Hujusmodi lis quadruplici in gradu agitata non potest quin fuerit diuturna et acris exercitatio malae passionis ad gravem inimicitiam inter conjuges concitandam. Adde igitur illis omnibus superius consideratis hanc infensam separationis controversiam in octavum jam durationis annum protractam atque culpa conjugum eorumque patronorum incidentibus abundantissimam, ut ostenditur per sequentes factorum concisas indicationes:

1. Litis libellum uxor exhibuit die 12 februarii 1955. Vir semel et iterum coram Tribunali institit pro reconciliacione; incassum tamen eo quod mulier manifestavit in scripto ad Tribunal misso: “Ni la conducta anterior de mi esposo aconseja que se haga la reconciliación, ni su conducta actual indica en él mismo deseo de llevarla a cabo. Es mi voluntad firme proseguir la causa de separación... porque la más elemental prudencia, basada en razones de índole moral y física, me señala como único camino, apto a seguir, el emprendido con la introducción de la causa de divorcio”.

2. Conventus rite citatus ad dubia concordanda in diem 12 julii 1955 petivit a Judice hac ipsa die ut dubia non concordarentur donec ipse scriptam contestationem exararet.

3. Die 26 februarii 1956 conventus reprobat testes ab uxore inductos expetens dilationem ad exceptiones probandas.

4. Die 23 martii 1956 instat vir ut ipsi concedatur prorogatio temporis ad probandam testium impugnationem.

5. Decisa causa de testium impugnatione, nihilominus vir die 27 martii 1956 probationes proposuit ad eosdem testes impugnandos.

6. *Conventus examinari a Iudice primae instantiae non potuit, quia etiamsi semel et iterum citatus comparere renuit.*

7. *Die 27 octobris 1956 vir quaestionem incidentalem promovet super instrumentis admittendis: "Formalizo —ait— el presente recurso contra la parte del decreto de fecha 24 de los corrientes, que hace referencia a la inadmisión de la prueba documental privada... que consiste en la prospección, en el lugar y momento señalado por el Tribunal, con asistencia de testigos de esta representación, de diversos films familiares de los cónyuges litigantes y sus hijas".*

8. *Die 10 novembris 1956 conventus instat ut testes non excutiantur nisi post triginta dies elapsos: "Aplazamiento por treinta días de la práctica de la prueba testifical..."*

9. *Vir exceptionem contra Iudicem proposuit quam iteratis scriptis et momentis agitavit.*

10. *Post conclusionem in causa principali conventus die 8 aprilis 1957 exhibuit unum et sesaginta documenta: numerosas testium declarationes coram notario civili peractas.*

11. *In altera instantia Iudex partes citavit ad dubia concordanda in diem 12 junii 1957; sed vir appellans etiam nunc petivit termini prorogationem.*

12. *Intra autem dilationem prorogatam appellans proposuit die 18 junii 1957 querelam nullitatis contra sententiam coram Iudice appellationis.*

13. *Uxor quoque contra maritum die 2 julii 1957 proposuit spoli exceptionem ad normam can. 1698 vel saltem quaestionem attentati eo quod "su esposo sustrajo clandestinamente a las hijas del Colegio donde se encontraban".*

14. *Lata sententia interlocutoria contra placita viri circa nullitatis querelam, ab ea appellavit die 26 septembris 1957 ad Rotam Nuntiaturae Apostolicae, quae confirmavit priorem decisionem.*

15. *Die 30 octobris 1958 nova causa incidens movetur sub secreto. Uxor virum accusat adulterii patrati atque criminis parandi sibi mortem.*

16. *Die 8 junii 1959 conventus reprobat testes ab uxore inductos ad quaestionem incidentem probandam.*

17. *Uxor proponit probationem per peritos ad photographias examinandas quae probent adulterium.*

18. *Denegata uxoris petitione, ab hujusmodi decreto actrix appellavit ad Rotam Nuntiaturae Apostolicae.*

19. *A sententia lata in altera instantia uxor appellavit; a decisione vero in tertio gradu vir. Et sumus in quarta instantia.*



20. Hoc in iudiciis gradu vir appellans habitus fuit uti iustitiae Tribunalis remissus. Enimvero ante actum quo praesens statueret diem et horam ut Auditores convenirent ad sententiam proferendam, absens vir ab ejus absentia recessit petens die 25 septembris 1963: "Que desde este momento... se digne tenerle por desistido en la petición que hizo de someterse a la justicia del Tribunal, dándole intervención y conocimiento en este asunto de cuanto se ha actuado".

Praeterea referendae essent acrimoniae partium defendentium sua jura coram magistratibus diversi ordinis tam in foro ecclesiastico quam in foro saeculari; veruntamen quae indicavimus satis abunde probant vehementem passionem atque gravem inimicitiam quibus conjuges per longos annos sunt affecti.

19. *Conjugum inimicitiam aestimamus gravem atque praesenti tempore eorum odium implacabile.* Res violenter praesumitur ex factis certis et determinatis quae cum infenso animo directe cohaerent. Talia autem sunt facta superius considerata de quibus satis constat ex actis et probatis. Ipsamet acta judicialia momentosum argumentum praebent. Sunt enim mole admodum grandia, acerbitate referta, ira et mala voluntate insignita. Quae omnia ita sunt clara et aperta, ut nemo sit legens hujusmodi scripta, qui malevolentiam vel iram gravem non videat.

a) *Tribunal Protectionis Minorum* de gravibus inter conjuges differentiis, in decisione diei 29 martii 1955 Matrili lata, ait: "Estimando que la exaltada pasión contra el marido reflejada en los escritos firmados por doña M., pasión revelada a los catorce años de unión matrimonial, coincidiendo en tiempo con las operaciones particionales de la herencia del padre de aquella, en las que son partícipes las hijas del matrimonio, operaciones sobre las cuales parece haberse suscitado graves diferencias entre el padre, como representante de las menores, por una parte, y la madre y algún hermano de la mujer, por otra, son circunstancias que indican también la conveniencia de separar a las hijas del ambiente pasional contra el padre, mientras se tramite el expediente, para evitar los perjuicios que para su educación, en relación con el afecto filial hacia el padre, pudieran derivarse en dicho ambiente" (fol. 380).

b) *Magistratus civilis, vulgo "Juez de Primera Instancia del Juzgado número 4 de los de B."*, procedens in iudicio ordinario magnae quantitatis, in sententia diei 31 martii 1956 has rationes considerat: "Considerando que al estudiar los autos en extremo voluminosos de este juicio, pronto se advierte que interferidas y entremezcladas con lo que en realidad constituye su única y propia materia han venido al pleito traídas por una y otra parte, no pocas veces con lamentable tono de acritud, diversos tipos de cuestiones...".

c) *Tribunal civile, vulgo "Audiencia Provincial de B."*, in iudicio poenali "por atentado, desórdenes públicos, desacato y lesiones", contra virum

accusatum D. num F., existimat esse probatum factum sequens: "El disgusto del Sr. F. con el Sr. L. (procuratore uxoris M.) a consecuencia de unos pleitos, que en pugna ambos intervenían... contiendas surgidas ante las *intensísimas diferencias* que se produjeron en la vida matrimonial del Sr. F." (fol. 526).

d) *Sententia Tribunalis Metropolitanani* considerat "que de los autos se deduce también la existencia de una *exaltada pasión* sobre todo de la actora... La ponen de manifiesto el crecido número de actas notariales levantadas a instancias de las partes y, muchas veces en presencia de ellos o de sus delegados; las retractaciones de varios declarantes por intervención de la parte perjudicada; los diferentes fallos del Tribunal Tutelar de Menores y del de Apelación; las numerosas denuncias, pleitos y querellas presentadas ante la jurisdicción ordinaria y ante otros organismos estatales; las noticias tendenciosas en los periódicos, ciertos hechos raros, graves y sospechosos ocurridos últimamente". Cui passioni pro iracundia excandescenti Judex merito tribuit "exageraciones, contradicciones y hechos graves". Eidem passioni vel irae certissimae nos Auditores de Turno hac in quarta instantia annectimus mutuam gravemque inimicitiam, acerbos animi affectus implacabiliter dissociatos, odium quod veteres canonistae capitale vocabant.

e) *Auditores Rotaes Turni appellati* non potuerunt non considerare hanc animorum exarcerbationem, "quae inter partes in praesenti litigii aestu exarsa, et qua etiam partium patroni, necnon nonnulli hinc inde declarantes... infectos se exhibent, uti acta satis pandunt, eo usque devenit ut in probationibus comparandis debitum excesserint modum, quos inter defuisse non videntur coactiones in personas exercitas, ut sibi quaeque pars favorabiles, alteri vero adversas declarationes obtinerent, etiamsi opus fuisset alias in alterius favorem antea factas ab eisdem personis retractari" (núm. 20). Qui appellatus Turnus Rotalis, examinans tam testium declarationes quam numerosissima documenta exhibita, sufficienter probatas existimavit saevitias, quibus vitae communicationem nimis difficilem reddi. Quapropter item censuit his in rerum adjunctis adesse causam legitimam excusantem a cohabitationis obligatione in tempus indefinitum, idest, quandiu causa duret.

20. *Animadversio facienda ad rite aestimandum hujusmodi saevitias quae pariunt odium vel inimicitiam.* Laudati Judices Turni appellati, considerantes saevitiarum speciem, tot litigia, tantam iram atque violentiam ad jura petenda, profecto agnoverunt tum viri passionem, irae affectum, gravemque inimicitiam, tum injurias a muliere viro illatas, per se infensissimas atque de se sufficientes ad patefaciendum animum saevissimum et odium implacabile.

Nos autem ad jus dicendum in dubio hujus instantiae solvendo, existimantes conjugum inimicitiam esse gravem, animadvertere volumus ad rem

non requiri quod a nobis dijudicetur utrum maritus vel uxor habuerit necne juris fundamentum ad jura petenda vel denunciationes faciendas, aliaque id genus; imo neque utrum ipsi singulis in casibus servaverint necne justitiam.

Quod nunc ad rem facit, idest, ad probandam gravem eorum inimicitiam vel odium implacabile, validum est argumentum quod ex lite magnae quantitatis bonorum atque ex tot litigiis, contentionibus vel quaestionibus a se ipsis et contra se motis, viva passione fatis, longos in annos protractis, merito infertur. Facta, ex quibus conclusio deducitur, sunt certa et ex actis constant, imo sunt publica.

Constat igitur de fontibus ex quibus gravis inimicitia vel implacabile odium ortum et pabulum habuit. Et conjugum separatio minime pendet a jure legitimo vel minus legitimo quo conjuges usi fuerint ad delicta denuncianda vel criminis accusandum, sed ab odio vel inimicitia quibus animi conjugum sunt tempore praesenti affecti. Scite ad rem Card. Lega scribit: "Gravem censemus inimicitiam ortam ex lite qua alteri non sine fundamento juris et legitimo processu hereditatem adimere conatus est; aut ab eo majorem partem bonorum sui patrimonii, servatis legitimis normis judicii, vindicare, aut notam infamiae adversario apponere" (Lega-Bartocchetti, *Com. in Judic. Eccles.*, vol. II, p. 671, n. 10).

Itaque, si certo constat ex actis et probatis de alterius malevolentia erga alterum, de ira qua conjuges sunt incensi, de gravi mutua inimicitia, de odio implacabili; si juxta ea quae superius in jure exposuimus, hujusmodi odium capitale, ex eo quod est *odium* parit rixas, et ex eo quod est *implacabile* futura ejus cessatio praevideri nequit; Patres Auditores absque dubio existimant ad scopum actionis matrimonialis separationis, de qua in judicio nostro agitur, has utriusque partis saevitias positive conflare ignem passionis, qua sese invicem affective et effective odiverunt.

21. *Separatio, in casu, non potest quin concedatur in tempus indefinitum.* Non desunt quidem in casu duo illa elementa necessaria ad separationem concedendam in tempus indefinitum, scilicet: 1.º, Causa legitima excusans ab obligatione cohabitandi, circa quam duplex est sententia conformis; 2.º, Ignota causae cessatio in futurum, ne conjecturaliter quidem praesumenda in casu.

Hisce ergo in adjunctis Judici non licet vel conjugibus cohabitationem imponere cum periculo gravis damni, vel separationis durationem decernere pro lubitu in tempus certum gravi cum detrimento, molestia vel jactura oeconomica illius qui in judicio legitime separationem temporaneam obtinuit.

#### IV. PARS DISPOSITIVA

22. Quibus omnibus in jure et in facto mature perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine

invocato, ad propositum dubium respondententes, definitive sententiamus: *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram, seu confirmandam esse sententiam rotalem diei 4 octobris 1962, ideoque concedendam uxori separationem in tempus indefinitum.

Item confirmamus decisionem super educatione filiarum, ad normam canonis 1132, penes matris auctoritatem et curas, salvo tamen patris jure eas regulariter invisendi.

Expensas hujus instantiae vir appellans sustineat. Quae in praecedentibus instantiis causatae inter partes compensentur.

Enimvero Nostra Sententia minime concordiae viam praeccludit ad conjugum christianam reconciliationem. Imo Nos Auditores de Turno eosdem, conjuges et parentes catholicos, pro bono utriusque nomine, pro animarum salute, pro scandalo populi fidelis vitando, pro recta filiarum institutione, ardentem hortamur ut animi aestus pacent, mutua debita dimittant, sua vel conjugum vel parentum officia sancte impleant.

Ita pronuntiamus mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut hanc Nostram definitivam sententiam executioni mandent et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum.

Matriti, in Sede Tribunalis Sacrae Rotae Nuntiaturae Apostolicae, die 16 mensis decembris anni 1963.

LEO DEL AMO, *Ponens.*

NARCISSUS TIBAU, *Auditor de turno.*

RAYMUNDUS LAMAS, *Auditor de turno.*

JOANNES BOTELLA, *Notarius.*